

DECRETUM



V A L E N T I N A

Beatificationis, & Canonizationis

VENERABILIS SERVI DEI

FR. ANDREAE HIBERNON

Laici professi Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum S. Petri de Alcalitara
Provinciae S. Joannis Baptiste Valentiae

S U P E R D U B I O

An, et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum, de quo agitur?



Uanquam Clemens XIV. Pont. Max. heroicas V.S.D. ANDREAE HIBERNONIS
fuisse virtutes conceptis iis verbis declaraverat, quibus significaretur, duo tan-
tum Miracula ad ejus Beatificationem requiri: Causae tamen Postulatores, ex
pluribus, quae in Inquisitionum tabulis relata erant, quinque in Sacr. Rit.
Congregatione proponenda selegentur, quae et probationibus firmiora, et
morborum gravitatem splendidiora sibi esse videbantur.

Attamen consueta iis accusatione perspensis tum in primo Consulitorum Conventu habito
in AEdibus R̄mi Cardinalis CORSINII Episcopi Sabinensis Causae Relatoris *pridie Nonas Decembr.*
 anni MDCCCLXXXVI., tum in altero habito coram R̄mis Cardinalibus in Palatio Apostolico Quirinali
III. *Idus Augusti superioris anni*; duo ex propositis Miraculis, quae aliquam habere dubitatio-
nem videbantur, ab ipsis Postulatoribus rejecta sunt: ideoque ad Generalem Congregationem
coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA SEXTO, habitam vi. *Idus superioris mensis*,
tria tantum Miracula sunt allata: de quibus cum exquisitae essent Patrum sententiae, Causa
ipsis in tuto jam collocata esse visa est.

Sed quoniam in gravissimis hisce Causis existimatio tantum Congregationis est, unius
vero Summi Pontificis judicium ac potestas: ipse causam de more ampliavit, ut sapientia illa,
per quam potentes decernunt justitiam, diutiis invocata, de tanta re, ea quia decet religione,
judicaret. Hoc vero rite functus officio, cum jam proposita Miracula adprobare constituisset,
hodiernum diem memoriae S. FRANCISCI ASSISTENTIAE sacrum causae definitioni dixit; ut novum
hoc Franciscani Ordinis Alumni decus cum familiae Conditoris honore communicaret: merito
ratus, filiorum gloriae partem non exiguum ad parentem pertinere, cuius legibus institutisque
ad ipsam consequendam via latior ac munitior est patefacta.

SANCTISSIMUS itaque in Templo S. MARTAE DE ARACAEI, cum rem divinam summa pietate
fecisset, adstantibus R̄mo Cardinali ARCHINTO Congregationi Praefecto, qui vices etiam gessit
R̄mi Cardinalis CORSINII Causae Relatoris ab Urbe absens, meque infrascripto S.R.C. Protono-
tario, loco R. P. ejusdem Congregationis Secretarii absens; nec non accito R.P. Carolo Erskine
S. Fidei Promotore, rite pronunciavit: *Constatre de tribus Miraculis tertii generis, a Deo V. S. D.*
ANDREA HIBERNONE intercedente patratis; nempe I. Instantaneae, et absolu- sanationis
Marianae Cano a confirmata tate. II. Instantaneae, et perfectae sanationis Andreac Gislert a diu-
nturna Mania. III. Instantaneae, et absolutae sanationis Mariae Garziae a diurna plurium annorum
caecitate. Atque hoc Decretum palam fieri, et in acta mitti imperavit. iv. Nonas Octob. MDCCXC.

J. Card. Archinto Praefectus

Loco Sigilli

J. de Carpino S.R.C. Protonotarius

ROME, Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolickæ 1790.